N. 1. ELECTIO Prouincialis fuit celebrata in Bæthica prouincia Ordinis Prædicatorum, mēse Aprilis, Sabbato ante Dominicā, *Deus, qui errantibus*, anno Dñi millesimo sexcentesimo quadragesimoprimo, & electus R^mus^. P. M Fr. Antonius de Saauedra: quæ quidem electio cum ad Reuerendissimum Magistrum Ordinis, secundum eius constitutiones, confirmanda, seu cassanda veniret, ab eo cassata fuit. Et vt expensas euitaret *Prouinciæ*, authoritate Appostolica sibi specialiter concessa per litteras expeditas ab Vrbano 8. die decimaquarta Augusti prædicti anni, creauit in Prouincialem dictæ Bæthicę *Prouinciæ* R^um^. P. M. Fr. Aluarum de Cozar Barba, vt prædicto vteretur officio iuxta Pōtificis verba, ibi: *Ad tempus per singularia dicti Ordinis instituta authoritate Appostolica confirmata præfixum, &c.* Et litteræ creationis fuerunt expeditæ à Reuerendissimo M. Ordinis, anno prædicto, & mense. Et â Prouincia admissę die nona mensis Octobris prædicti anni, qua prædictus R^mus^. *P.* Prouincialis cæpit eiusmodi officium exercere.

2 Hoc supposito, oritur difficultas, an scilicet, R^mus^. P. *Prouincialis*, qui ita creatus fuit, prædictum posit officium prosequi per quadriennium, quod finiatur die nona mensis Octobris huius anni quadragesimi quinti: an verò hoc limitandum sit tempus ad Sabbatum ante Dominicam, *Deus qui errantibus*, huius prædicti anni, ita vt quadriennium non adimpleatur?

3 Et ex eo prouenit dubitandi ratio, quia licet verum sit, quòd (vt mox dicemus) Prouincialis officium duret quadriennio, etiam dubitandum non videtur, quód Capitulum prouinciale præcisè debeat celebrari in Sabbato ante Dominicam *Deus qui errantibus*, vt decissum extat in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1569. ordinat. 35 ibi; *Ordinamus, vt in Prouincia Aragoniæ Capitula Prouincialia semper celebrentur Dominica,* Deus qui errantibus, *iuxta communem Ordinis consuetudinem, vtq; semper celebrentur de biennio in biennium. Denuô confirmantes ordinationem aliás factam, quòd Prouincialis electus statim sit Vicarius Prouin-*

niæ, ad ipsumq; pertineat Capitulum celebrare, & ex tunc currere intelligatur tempus sui prouincialatus. Quadrienniumque eius semper compleatur Sabbato præcedenti dictam Dominicum, Deus qui errantibus, &c. Et ibi. *Declaramus etiam, quòd quando Capitulum prouinciale pro electione noui Prouincialis celebrandum est eodem anno, quo celebrandum est Capitulum Generale pro electione Magistri Ordinis, vel etiam Capitulum Prouincialium; Capitulum Prouinciale transferatur ad primam Dominicam Septembris proximi post factam electionem Magistri Ordinis: & Prouincialis in huiusmodi Capitulo electus complere, intelligatur quadriennium sui Prouincialatus, incepto anno quarto, Sabbato ante prædictam Dominicam*, Deus qui errantibus.

4 Ex quibus verbis ponderantur illa, *secundùm Ordinis consuetudinem*, quæ supponunt, in quanis Prouincia, hoc ita seruari, & ex consuetudine (quæ habet vim legis) dispositum extare. Item etiam, quia si ex prędicta constitutione Prouincialis facta electione prima Dominica Septembris, officium finitur anno quarto, Sabbato ante Dominicam, *Deus qui errantibus*, sic similiter officium inceptum die nona Octobris (vt in nostro casu) debet finiri anno quarto, Sabbato etiam ante Dominicam prædictam, quia vbi eadem est ratio, eadem debet esse iuris dispositio, l. illud, ff. ad l. Aquiliam, l. iam hoc iure, ff. de vulgari, l. Gallus, §. 1. ff. de liber. & posthumis, l. his solis, C. de reuocan. donation. Et rursus difficultas augetur, quia licet in Bæthicæ prouincia nec consuetudo, nec dispositio huiusmodi adesset, tamen in ea, hæc proximè relata seruari deberet, quia vbi leges deficiunt in vna prouincia, recurrendum est ad leges alterius, quando subsunt eidem Principi, Iasson in l. de quibus, num 6. ff. de legib. Marta de iurisdictione, p. 1. cap. 26. nu. 107. Fluuius Côstantius in l. 1. num. 36. C. de filijs officiali. lib. 12.

Quod tandem exemplo confirmatur in electione facta pro R^mo^. P. M. Fr. Fráciſco Delgado Prouinciali electo huius Bæthicæ prouinciæ, Sabbato ante Dominicam vltimam mensis Augusti anno 1605. cuius officium finitum fuit anno 1609. Sabbato ante Dominicam, *Deus, qui errantibus*, ante completum quadriennium.

His

5 His tamen non obstantibus, iudicandum videtur prædictum prouincialatus officium inceptum die nona Octobris anni prædicti quadragesimi primi durationem habere ad diem vsque ad nonam mensis Octobris anni huius quadragesimi quinti. Et primò probatur ex eo quòd in hac sacra Religione prędictum officium quadriennio duret à die institutionis, quia licet verum sit, quòd iure communi attento, huiusmodi officia perpetuó durent, quia sunt Ecclesiastica beneficia, gloss. 1, in regula 1, de reg. iur. lib. 6, Rebuffus in praxi, tit, *seculare beneficium*, nu. 4, Gonzalez in reg. 8. gloss 1, num, 39. Garcia de Benefic. par. 1, cap. 6, num. 3, 5, & 6, et hoc *præcissé*, textus in cap. *sanctorum*, 70, distinct. iuxta eorum naturam: Franciscus Marcus distinct. 1071. Azor instit. moral. p. 2, lib, 3, cap. 1, quæst. 2, vers. ex his, Barbosa de vniuer. iurib. lib, 2, cap. 4, num, 11, taliter quód pro libito nequeant renuntiari: tenent DD. ex cap. admonet, de renuntiatione, Menoch rem. 1, de recuper. num. 374, Gonzalez in reg. 8, gloss. 14, num, 2, cum pluribus alijs, quos refert Barbosa lib. 3, de vniv. iur. cap. 15, num. 4. Tamen hæc in perpetuum duratio limitata fuit ad quadriennium, authoritate Iulij 2, per Bullam expeditam die 27, Iulij anno 1504, per quod tempus hæc est pręcissa duratio, taliter, vt nequeat alterari ex supra dictis.

6 Quod quidem alia dispositiua Ordinis constitutione munitum extat, videlicet ex actis Capituli Generalis Romæ celebrati anno 1627. ordinatione 11. ibi: *Ordinamus, vt (cum Iulius secundus disposuerit, ne Prouinciales vltra quadriennium in officio prouincialatus perseuerent) ad vniformitatem durationis superiorum in nostro Ordine seruandam, & regimẽ Prouinciarum, & Conuentuum eiusdem utiliter, & quietè administrandum, Prouinciales durent in suis officijs quadriennio, &c.*

7 Quod rursus in terminis nostri casus decissum apparet authoritate Vrbani octaui per Bullam editam super creatione prędicti R^mi^. P. M. Fr. Aluari de Cozar Barba in Prouincialem, ibi; *ad tempus per singularia dicti Ordinis instituta Apostolica authoritate confirmata præfixum.* Ex quibus infertur huiusmodi officium finiendum non esse ante quadrien-

driennium; & consequenter, donec aduenia tdies nona Octobris anni prædicti quadragesimi quinti, & hoc quidem iure communi limitato ad quadriennium, constitutione, & Apostolica authoritate.

8 Nec obstat si dicas, hoc quadriennium intelligi debere perfectum, etiam si deficiat aliquod tempus ad illud adimplendum, nec ob hoc vitiari prædictam circa quadriennium dispositionem, & effectum non sortiri, ex eo quod magis, & minus non mutant speciem, l. fin. ff. de fundo instruc. l. legato generaliter, ff. de legatis 1. l. qui ex vico, ff. ad municipal. Nam respondetur, hoc axioma intelligi debere in minuscula temporis differentia, tunc enim magis, & minus non variant substantiam rei: secùs veró, quando inter tempora datur aliqua considerabilis differentia (vt in nostro casu, in quo septem saltim menses abducuntur à quadriennio, si officium non duret vsque ad mensem Octobris) probatur expressè in l. hæc adiectio 192. ff. de verborum signific. D. Lara de Capellan. lib. 2 cap. 8. num. 4. & 5.

9 Nec rursus obstabit doctrina Bartoli, & aliorum, quos refert Salgado, p. 4, de regia protectione, cap. 11. num. numer. 54. scilicet quando electio fit ad aliquod tempus determinatum, si lis super ea vertatur inter duos litigantes, qui obtineat tantũ potietur officio pro tempore, quod supersit, nec redintegratur ad totum tempus quia hoc intelligitur quando electio facta fuit ad hunc, vel illum præcisè annum: secùs verò quando ad quadriennium, vel quinquennium sine limitatione; tunc enim tempus illud adimpleri debet à die possessionis: & ita distinguit Salgado vbi supra cum alijs, quos ipse refert. Ex quo infertur, quòd cum institutio huius prouincialatus facta fuerit per tempus quadriennij, quod est statutum, ex eo ipso debeat permanere; absque huius, vel illius anni limitatione.

10 Secundó probatur resolutione ex noua super hoc casu edita constitutione, (quæ nullam rel inquit difficultatem) videlicet in hoc Generali Capitulo proximè celebrato anno 1644. ordinatione 6. in ijs, quæ ad Bæthicam pertinet

tinent Prouinciam, ibi: *Volumus; & ordinamus, vt R. admodum P. M. Fr. Aluarus de Cozar Barba post expletum quadriennium sui Prouincialatus in mense Octobris proximo gerat officium cium Vicarij Generalis eiusdem Prouinciæ, vt ipsum ex nunc pro tunc instituimus, damus, & creamus cũ omnibus gratijs, & facultatibus, quibus alij Vicarij Generalis Prouinciæ gaudere, & potiri solent, donec in Capitulo Prouinciæ post Pascha celebrando, de nouo Prouinciali fuerit prouisum.*

1 Cui quidem constitutioni non obstat, si dicas, intelligi debere, vt tantùm disponat circa creationem in Vicarium Generalem, ex suppositione, quod officium Prouincialatus duret vsque ad mensem Octobris huius quadragesimi quinti anni, atque ita si hæc suppositio non teneat, ex dictis supra num. 3 nec dispositio tenebit ex vulgari regula, quôd quãdo lex vnum disponit, & aliud præsupponit, non tenet dispositio, ni si suppositum verificetur: argumento textus in l. mancipia, C. de seru. fugitiu. Surdus cons. 426. num 6. Farin. cons. 65. num. 97. Petrus Caualdus cons. 167. num. 10. cum alijs. Nam primò respõdetur, hoc axioma limitari, quando legislator disponit supponendo ex certa sciẽtia id super quo cadit noua dispositio (etiam si alias suppositum haberet super intelligentia aliquam difficultatem) vel quia ipse de suppositione iam disposuerat, vel alius similem habens facultatem; nunc enim suppositio idem operatur, ac dispositio ex ipsius legislatoris mente, quæ est attendenda, l. scire, §. aliud, ff. de excusat. tutor. l. 3 §. conditio, ff de adim. leg cum similibus, vt tenent supra relati. Hoc autem accidit in nostro casu, namque cum iam dispositum erat, quòd prædictus P. Prouincialis duraret quadriennio in suo officio rectè. supposito hoc, prosequitur constitutio circa prorrogationem.

12 Imó ex hoc omnis cessat dubitatio circa nostrum casum, quia cum extent constitutiones ordinariæ, & Apostolicæ circa quadriennij durationem, quod finiatur in mense Octobris huius quadragesimi quinti anni præcisè, difficultas, quæ oritur ex tempore, in quo debeat Capitulum celebrari, nullius videtur momenti, quia iam

Generale Capitulum ſuppoſuit, (& cenſuit) vt indubitabilem durationem vſque ad Octobris menſem; & ſuppoſito hoc vt indubitato, diſpoſuit nouam creationem officij Vicarij Generalis vſque ad Sabbatum ante Dominicam, *Deus qui errantibus*, anni quadrageſimi ſexti, quaſi quodammodo confirmando conſtitutiones de quadriennij duratione, & ſupponendo intelligi debere in noſtro caſu. Quod quidem confirmatur ex eo, quia aliter hæc conſtitutio, quę ita maturo conſilio à Capitulo Generali lata eſt (quod vt Princeps Religionis præſumitur habere in ſcrinio pectoris ſui omnes conſtitutiones, leges, & ordinationes, quæ ad eam pertinent, ex cap. 1. de conſtitut. lib. 6,) nihil operaretur, & potius accipi, & intelligi debet, vt totum operetur ſenſum, ex textu in cap. ſi Papa 10. de priuileg. in 6. cap. ſi Romanorum 19. diſt. Quod confirmatur ex eo, quia prædicta conſtitutio virtualiter videtur diſponere, quôd duratio quadriennij finiatur in prædicto menſe Octobri, quæ quidem virtualis diſpoſitio ſufficit, vt teneat, & liget conſtitutio, ac ſi expreſſè ſtatuiſſet; reſoluunt Ceſar Argel. de contradiction. legitim q. 20. num. 24. Armendar. in prohem. addit. ad recopil. legis Nauarrę, num. 27.

13 Nec obſtat dubitandi ratio, & argumenta, quæ pro eius corroboratione adducuntur. Et primum, quòd de conſuetudine loquitur, facile euaneſcit, ſi conſideremus, quód celebratio Capituli Prouincialis non præciſſè fit in Sabbato ante Dominicã, *Deus qui errãtibus*, ſed, quia regulariter propter maiorem temporis commoditatem, ſolet tunc aliquoties celebrari, adimpletur quadriennium eodem tempore, & ſic contingit pro tunc nouam fieri electionem; ex quo infertur, quòd hæc quaſi conſuetudo poterit obſeruari, & intelligi, rebus ſic ſtantibus, & in eodem ſtatu permanentibus, hoc eſt, facta prima celebratione in dicto Sabbato ante Dominicam, & durante continuó quadriennio; ſecûs verò, ſi aliter res contigerit, vt potè in noſtro caſu, quo creatio facta fuit ſeptem menſibus tranſactis poſt dictum Sabbatum, hoc enim modo intelliguntur, & operantur leges (quæ minorem conſuetudine

tudine

tudine authoritatem non habent, l. consuetudinis 2, C. quæ sit longa consuetudo) rebus sic stantibus, & in eodē statu permanentibus, aliter secûs; textus in cap. in Parrochia, 16 quæst. 1. l. quod seruus, ff. de condit. ob caus. glos. in cap. 2. de rescriptis, Marcus Anton. 1, variar. resol. 56, num. 2. Sese decisione 87, numer. 23, Surdus cons. 313, n. 68, Gratian. disceptat. tom. 5, cap. 916, num. 22. Anton. Ricciulus de jur. pers. extra Ecclesiæ grem. exist. lib. 4. c. 36. num. 10.

14 Deinde, probatur, quòd non sit de natura huiusmodi officij, eiusque electionis, vt præcissê celebretur in Sabbato ante dictam Dominicam, nec super hoc posit allegari legitima consuetudo; prima, ex quadam dispositione, quæ habetur inter actas capituli Generalis celebrati Romæ anno 1538, ibi: *In Prouincia Bæthica approbamus præsentaturas omniū expositorū, & postulatorū á Capitulo Cordubensi, & deinceps vsq; ad Capitulū Hispalense celebratū 23. Ianuarij huius anni 1583, quorū nomina hic habētur pro expressis*. Ecce vbi constat, quòd capitulum Prouinciale huiusmodi Prouinciæ non fuit celebratum in Sabbato ante Dominicam, *Deus qui errantibus*; & tamen, ex suppositione, quôd fuit validum, approbantur acta in eo. Secundò in cōst. Ordin. cap. 3 § 4, de elect. Prioris Prouincialis, ibi: *Quod si nec ipse in Capitulo electus, nec alius fuerit cōfirmatus, vel post Prouinciale Capitulum, Priorem Prouincialem mori, vel amoueri contigerit, qui eius locum obtinet, teneatur conuocare quanto citiùs poterit, electores, vt in die ad eligendum assignata Prior Prouincialis eligatur, vel postuletur, & Prouinciale Capitulum celebretur*. Ergo non est necessaria, nec de electionis essentia huiusmodi Sabbati ante diem Dominicam assignatio, siquidem quā tocitiùs, absque temporis districtione, disponitur facienda capituli celebratio.

15 Secundô, non obstat prædicta constitutio ad Aragoniæ Prouiciam directa, ex duplici capite, quod in ea continetur, vno disponente electionem fieri in Sabbato ante Dominicam prędictam; altero, ex casu speciali de capitulo celerato in Sabb to ante primam Dominicam Septembris, ex quo videtur desumi eadem ratio ad nostrum

casum

casum. Quia hæc constitutio, quæ ad Aragoniæ Prouinciam dirigitur, in ea tantùm debet prçcissè obseruari, nō verò ad aliam prouinciam extendi, quando contigerit casus (de quo in præsenti) ad eum enim, vtpotè restrictiua, & odiosa, & quæ videtur annum ferè integrum (qui aliàs Prouinciali competit, cum ad eum per quadriennium officium pertineat) adimere, non debet extendi ex reg. l. cum quodam, ff. de liber. & post. cap. renouantes 22 dist. cap. ne aliqui, de priuileg. in 6. cum similibus, Aldrete de relig. discip. tuend. lib. 2 cap. 14. nu. 6. Moneta distrib. quotid. par, 1, quæst. 10. tit. 1, Sese decis. 18, numer. 261. cum alijs. Imó non constat de identitate rationis, vt eadem versetur circa prædictam Aragoniç prouinciam, ac circa istam Bæthicam, in qua talis lex non censetur dispositiua. Nec ex eo, quod in illa prouincia teneat, in ista debet ligare (licet eidem Magistro Ordinis ambæ sint subiectæ) ab argumento proximitatis, de quo supra in ratione dubitandi, quia hæc proximitas negatur, vt est notorium, imopotius maxima datur distantia inter vtramque prouinciam.

16 Deinde facit, quia prædictæ constitutioni opponitur Pontificis dispositio, relata supra, circa huiusmodi Prouincialatus creationem, quatenus disponit prædictum Reuerendissimum P. M Fr. Aluarum de Cozar Barba in officio durare ad tempus secundum Ordinis instituta præfixum, scilicet quadriennium, & ei absque dubio derogat, vtpotè potentior, dicta namque Aragoniæ constitutio tantum est in terminis constitutionis Ordinis, semota omni Appostolica authoritate, iuxta disposita in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1629. ex Breui Vrbani Octaui, qui Appostolicam authoritatm abstulit ab ordinationibus particularibus, & eas reliquit in terminis ordinationum municipalium. Ex quo infertur quòd sicut lex inferior non potest tollere vires legi superiori, nec directè, nec indirectè, l. formam, C. de offic. præfect. prætor. Orient. C. cum inferior, de maiorit. & obedi: gloss. in cap. fin. verbo figura, de hæretic. lib. 6. Clem. ne Romani, de elect. gloss. in Clem. sæpè in princ.

verf.

verſ. *mandamus*, de V. S. Imó è contra, maximè quando diſpoſitiones ſuperioris ſunt poſteriores, tunc enim, licet non ex diametro opponantur (quod etiam procedit in legibus æqualis authoritatis) derogant prioribus, ex eo tãtùm, quod ſint incompatibilia: vt probatur ex gloſ. marginali, in l. pacta nouiſsima, C. de pactis.

17 Et hoc multo fortiùs procedit, quando diſpoſitio poſterior habet clauſulam, *quibuſcumque non obſtantibus* (vt litteræ prædictæ Vrbani Octaui circa hanc prouincialatus creationem) ex eo enim ſolo quæcumque diſpoſitiones anteriores (licet ſint æqualis authoritatis) quatenus contrariæ, & impeditiuæ poſteriorum executionis cenſentur derogatæ: Bartolus in extrauagan. ad reprimendum, verbo, *non obſtantibus*, colum. 1. per textum, ibi, & in l. ſi quis, in principio teſtamenti, ff. de legat. 3, idem Bartolus in l. fin. C. ſi contra ius, vel vtilitatem publicã; & ibi Baldus verſ, ſed nunc quid, Paulus colum. 2, circa finem, Raudenſis de priuilegijs, quæſt. 32. Suarez de legibus, lib. 8, cap. 14, per totum; Menochius conſ. 1003.

18 Sed hæc quidem omnia ex abundanti retulimus; nã prædicta noua conſtitutio proximi Generalis capituli anno præterio mileſimo ſexcẽſimo quadrageſimo quarto celebrati. omnem omnino tollit difficultatem.

Ex quibus apparet cenſendum fore, prędictum Prouincialatus officium in perſona dicti Reuerendiſsimi Patris M. Fr. Aluari de Cozar Barba permanere vſque in diem nonam menſis Octobris, huius quadrageſimi quinti anni. Salua, &c. Datum Hiſpali die vigeſima menſis Martij anno *1645*.

Lic. Azeuedo de Fonseca, Regij Senatus causarum Patronus.

Lic. Petrus Chistophorus Ortiz, Regij Senatus Aduocatus.

Lic. Embrum Lanzia, causarum fisci in Sancta Inquisitione Aduocatus, necnon & Regij Senatus.

Doct. D. Christoual de Leon Santos & Ayala, Sanctæ Inquisitionis, & Regij Senatus Aduocat.

Lic. Antonius Perez causarum Fidei, necnon Senatus Hispalensis, Patronus.

Lic. Barroso, eiusdem Senatus causarũ Patronus.

Lic. D. Franciscus Orti de Godoy, Regij Senatu causarum Patronus.

Lic. Duran de Torres eiu dem Senatus causarum Pa tronus.

Lic. D. Didacus de Cuella Velazquez, Regij Senatu Aduocatus.

Lic. D. Ioannes de Gile Pretel, Hispalensis, necno & Cordubensis Sanctæ In quisitionis Consultor, & Re gij Senatus Aduocatus.

Doct. D. Petrus de Abau za, Regij Senatus Aduoca tus.

Iuris communis regulis, & decreto Sanctissimi P. N. Vrbani 8. de quo in præsenti quæstio vertitur, omnino consonam, nec vllo ex capite aduersantem Religionis Sanctissimi P. Dominici statutis, actis, & consuetudinibus, hanc reputat resolutionem hoc maius Collegium Sanctæ Mariæ de Iesu Vniuersitatis Hispalensis 11. Aprilis, anni Domini 1645.

Doct. D. Pedro de Medina Rico.

Doct. D. Pedro de Angulo, y Saauedra.

Doct. D. Francisco Sarmiento de Mendoça.

Doct. D. Lope de los Rios y Guzman.

Doct. D. Iñigo Perez de Lara y Saauedra.

Doct. D. Antonius Ciaño,
Sanctæ Ecclesiæ Hispalensis
Cánonicus Penitentiarius,
& Sanctæ Inquisitionis Consultor.